



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1655**

Pars II. Summarium Resolutionum Casuum occurrentium circa Peccata  
Capitalia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

se solitum, sed non iuravit se non repetiturum, nec hoc intenderit. Debet quoque ea de re potuisse disponere, alioqui iuramentum foret de re illicita.

## PARS SECUNDA.

### SUMMARIUM RESOLUTIONUM casuum occurrentium circa peccata capitalia.

#### CAPUT PRIMUM.

##### *De Superbia.*

**C**UM rudiores passim confitentes non nisi in genere soleant peccata sua exprimere, dicendo se superbos fuisse, iracundos, avaros, invidos, gulosos: idè Confessarii tenentur scire quando peccet mortaliter circa hæc peccata quæ capitalia dicuntur; ut eos in particulari valeant de his interrogare. Itaque paucis id explicabimus in quæstionibus sequentibus.

I. *QUAERO.* Quando superbia censeatur peccatum mortale? *Resp.* cum superbia sit appetitus inordinatus excellentiæ, æstimatioq; sui ipsius plusquam con-

venit, ordinariè non est peccatū mortale; nisi simul contineat gravem contemptum, vel injuriam proximi, injuriam aut despectum ipsius Dei. Et de tali superbia perfecta loquitur Scriptura & Sancti Patres, quando insinuāt esse gravissimum peccatum. Sic peccat mortaliter, qui quod habet à Deo, existimat se habere à se, & vult ut alii ita existiment; est enim in tali superbia quidam despectus, aut injuria in Deū redundans. Similiter peccat mortaliter, qui ita appetit propriam excellentiam, ut sit paratus Dei præceptum transgredi & mortaliter peccare, potius quàm à propria excellentia cadere. Deniq; peccabit mortaliter ex superbia, qui instar Pharisei publicanū despicientis alios despiceret, sibi nimis arrogans. Item qui ex superbia superiori, non vult subesse.

2. *QUAERO Quando vana gloria, vel jactantia, censetur peccatum mortale?*  
 Resp. ut supra hanc, nō censeri mortale, nisi in Dei vel proximi gravē injuriam redundet. Sic peccat mortaliter, qui

qui gl  
 morta  
 verò ex  
 talia, s  
 cati; se  
 geniur  
 potest  
 peccat  
 Chyru  
 ita ut h  
 num, e  
 Medic  
 to, & c  
 lios ut  
 3. C  
 timacia  
 hæsi  
 oportet  
 erit m  
 tra ho  
 detrim  
 morta  
 cum p  
 cliesia  
 niu m  
 cus, q  
 pacit

qui gloriatur vel se jactat de peccato mortali, quia ibi est injuria Dei. Si quis verò enarrat quædam sua peccata mortalia, sine approbatione & affectu peccati; sed solum ut inde dexteritas, ingenium, virilitas appareat; excusari potest à mortali. Similiter mortiferè peccat, qui se jactat Medicum peritum, Chyrurgum, Advocatum, & similia; ita ut hinc emergat grave alicui damnum, eo quod se illi credat tamquam Medico, vel litem tamquam Advocato, &c. Denique, si quis se sic jactat, alios ut despiciat, mortaliter peccat.

3. *QUAERO. Quale peccatum sit pertinacia?* Resp. cum pertinacia/sic adhaesio in propria sententia plusquam oporteat, ordinariè est venialis. Tamè erit mortalis, si in rebus versetur contra honorem Dei, vel in grave proximi detrimentum cedentibus. Sic peccat mortaliter, qui adhæret suæ sententiæ cum pertinacia, licet auctoritatem Ecclesie videat sibi contrariam, & omnium Doctorum consensum. Ita & Medicus, qui adhæret suæ sententiæ pertinaciter cum periculo ægri. Simi-

Similiter dicendum de discordia quæ est etiam filia superbix, quando quis non vult à propria voluntate discedere ut aliis concordet, & hoc ex intentione contradicendi. Potest enim & illa discordia versari erga rem perniciosam, tendentem in detrimentum grave proximi, vel contra honorem Dei; & tunc est mortalis, aliàs est venialis. Sic inter eos qui gubernant, discordiæ grave damnum parere natae sunt in Republica, ideoque mortalem reatum facile involvunt.

4. *QUAERO. Quale peccatum sit contentio?* Resp. cum contentio sit sermo contradictorius, quo quis veritatem oppugnat; si quis scienter notam impugnet veritatem in rebus fidei, vel in rebus ad salutem proximi spectantibus, mortalem culpam incurrit. Item in rebus indifferentibus, vel non ita notabilibus, potest quis mortale peccatum incurere verbis contendendo, propter modum contentionis, quo aliis scandalum ingeritur; aut cum injuriosa verba miscentur. Aliàs si hæc

abstinere

absint, licet fortè perturbatio aliqua clamorosa etiam cum quadam exca- descentia interveniat, non censetur contentio illa nisi venialis.

§ *QUAERO. Quale peccatum sit hypo- crisis?* Resp. cum hypocrisis sit simula- tio virtutis, quam quis non habet, e- rit mortalis si sit perfecta. Tunc au- tem censetur perfecta, quando quis intendit esse malus, & vult simulare se bonum, vult injustitiam committere, & fingit se justum, vult fornicari & in fornicationibus permanere, & tamen fictione & simulatione expressâ vult apparere castus. Ideo contra hos in sa- cris litteris sæpe repetitur: *Vae nobis Hypocritæ*, quia scilicet in his cū simu- latione cōtemptus quidam sanctitatis involvi videtur, sanctitatis scilicet in- ternæ. Quod si quis se simulet bonum, vel meliorem quàm sit, optans illam bonitatem quam simulat, desiderans- que assequi, non est nisi veniale; item si simulet solùm ne scandalizet alios. Potest etiam hypocrisis ex fine esse mortalis, ut si quis simulet sanctitatem  
ut

ut possit doctrinam falsam seminare, aut ut possit assequi beneficium, quo planè est indignus.

*Petes*, quid dicendum de illis qui per hypocrisim eleëmofynas extorquent? Resp. qui necessaria habet ad sustentandam vitam & pauperiem fingit, ut eleëmofynas extorqueat, mortale peccatum poterit incurrere. Si verò non habet necessaria, & ut eleëmofynas lucretur, simulat bonitatem, non peccat mortaliter.

6 *Quaero* Quale peccatum sit curiositas? Resp. illam etiam inter superbiam filias censet, quia est appetitus sciendi inordinatus; potest autem variis casibus esse mortalis. *Primo*, si res sunt prohibita & sub mortali. Sic velle scire, sive audire, quæ in confessione dicuntur est peccatum mortale. Item velle legere, & scire quæ in libris prohibitis continentur. 2. Si res sunt noxiæ, & occasio sit proxima peccandi in illa scientia. Sic qui multum proclivis est in luxuriam, & novit sibi periculum propinquum fore, si legat libros inhonestos

nestos & lascivos, peccat mortaliter volendo scire hæc sibi noxia. 3. si ita velit scire, ut alium inducat ad peccandum mortaliter. Sic peccat qui vult scire ea quæ alius tenetur occultare ratione juramenti.

7. *QUAERO. Quale peccatum sit inventio novitatum, aut ornatus vanus?* Resp. ordinarie esse veniale. Potest tamé ornatus esse mortalis, ex fine. Sic peccat mortaliter mulier, quæ se ornat ad alliciendum quempiam ad peccatum mortale. Item ex aliis circumstantiis. Sic peccare mortaliter possunt qui sibi magnificas ultra statum vestes procurant, & interim debita non solvunt, ad quæ tenentur. Similiter qui convivia magnifica instruunt, cum gravi damno creditorum. Sic & hi graviter delinquant, qui ut foveant superbiam suam domesticam in vestibus, conviviis, & aliis sumptibus, coguntur gravare pauperes, stipendia exigere injusta, & similia.

8. *QUAERO. An ornatus femineus per pigmenta, aut comam appositam, intortos-*  
*P que*



que capillos, item per pectoris nuditatem, & per novas vestium formas non sit mortale peccatum? Resp. quosdam existimare esse mortalem hunc excessum, quia Scriptura & Patres graviter eum reprehendunt, ut etiam supra reprehēdimus in Tractatu de Superbia. Dicendum tamen hunc excessum non videri mortalem, nisi finis sit mortalis, puta ad alliciendum ad libidinem, aut nisi grave scandalum contineat. Sic aliquis adeo tenui & sic conformata veste potest uti, ut pudenda non satis tegantur; & ideo hoc scandalum omnino esse potest. Quantum ad nuditatem pectoris, cum illa pars honesta censeatur, nec natura aut pudor humanus absolutè postulet illam regi, non inducit peccatum mortale, maximè ubi consuetudo viget. Talem autem consuetudinem introducere, ubi esset insolitum, grave peccatum contineret, quia ubi insolitum, ibi magis periculosum.

Quod autem Scriptura 1. Pet. 3. & SS. Patres graviter reprehendunt ca-

pilla

pillaturam extrinsecus, & circumdationem auri, fucos item & pigmenta, tanquam sit adulterare opus Dei: Advertendum initio Ecclesiæ & temporibus persecutionum, ad bonum exemplum Ethnicorum, considerationem hujus rei magis fuisse necessariam: ideoque tunc potuisse modestiam in veste & ornatu exteriori faciei & corporis præcipi à Prælatiis, & tunc etiam majus scandalum generasse. Aliàs se ornare comâ, & capillis adoptivis seu alienis, vel pigmentis, & aliis modis, non est propriè adulterare opus Dei quâ parte Dei est, sed adjuvare opus naturæ, vel defectus ejus supplere; quod cû sit ex vanitate solùm, seu vano appetitu pulchritudinis, nullo alio extrinseco fine morali adhibito, veniale est. Hæc latius dixerim propter aliquos Confessarios, qui morosè nimis quasdam rejiciunt sine absolutione non nisi tumultum ingenerantes sine fructu. Optimè verò faciunt Confessarii, qui quo-ad possunt, exhortantur ad moderandum corporis cultum.

*Petes, an sit peccatum mortale, si vitutatur veste fæmineâ, vel fæmina veste virili? Videtur enim quod sic, quia Deuteron. 22. dicitur: Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fæminea, abominabilis enim apud Dominum est qui hoc facit.* Resp. usum vestis alieni sexus nõ esse ita intrinsecè malum quin liceat ob justam causam. Sic qui fugit hostes, potest in aliena veste muliebri se occultare: idem patet in ludis & comediis. Quod si ex levitate quis utatur, peccatum est tantum veniale. Quantum autem ad præceptum Deuteronomii, pertinet ad cæremonias, vel politiam illius populi.

9. *QUAERO. An ingratitude possit esse peccatum mortale? Resp. esse mortale, quando quis beneficium notabile contemnit, & benefactoris affectum vel elevar, vel sinistrè interpretatur, ut non videatur ei debitor ratione beneficii, aut ne cogatur gratus esse gratias agendo. Ratio est, quia contemptus benevoli affectus & sinistri interpretatio beneficii (maximè si sit notabile)*

bile) non est minus peccatum quam  
 iudicium temerarium. Nam & illud  
 hic involvitur, dum quis iudicat affe-  
 ctum esse simulatum, & alio quam be-  
 nevolo animo beneficium impendi.  
 Unde homines tali contemptu gravi-  
 ter solent offendi. Erit verò veniale, si  
 hoc ex imperfecta advertentia, vel im-  
 perfecto consensu fiat, ut in repentino  
 cholerae motu solet accidere; item ex  
 parvitate materiae si beneficium sit e-  
 xiguum, non enim censetur notabilis  
 injuria benefactoris exigui beneficii  
 contemptus.

10. *QUAERO. Quale peccatum sit ino-  
 bedientia quae dicitur filia superbiae? Resp*  
 formalem inobedientiam ex suo ge-  
 nere esse peccatum mortale. Tunc au-  
 tem dicitur formalis quando quis præ-  
 ceptum violat eâ intentione ut illud vio-  
 let, & ei suo facto adversetur. Itaque est  
 tunc quidam contemptus præcepti,  
 vel præcipientis, censeturque gravis &  
 mortalis, nisi fiat ex imperfecta atten-  
 tione, vel præceptum sit de re omnino  
 levi. V. Cajet. V. *Inobedientia*, Less. 1. 2.

c. 47. dub. 6. De inobedientia supra egi-  
mus latius in Præcepto IV.

C A P U T II.

*De Avaritia.*

I. **Q**UAERO. *Quale peccatū sit Avaritia?* Resp. Avaritia prout dicitur appetitum immoderatum divitiarum, nō est ordinariē nisi veniale peccatum; nisi appetitus hic eō usque se extendat, ut quis non curet quā viā opes congregare, aliena etiam rapiendo vel detinendo. Tunc enim est mortale peccatum, prout scilicet opponitur non solum liberalitati, sed etiam iustitiæ, ut supra latius dixim⁹ tractantes de Avaritia. Prout verò opponitur liberalitati, potest esse mortalis, quando quis immoderatē ita afficitur pecunia, ut pauperum necessitati nō subveniat, quando tenetur ex Præcepto.

2. **Q**UAERO. *Quandonam tenetur quis ad eleemosynam sub peccato mortali?* Resp. quando quis est in extrema vel gravi necessitate, certum est ex communi sententia eum qui habet superflua statui suo, vel etiā personæ, obli-

gari

gari ex præcepto illi subvenire, maxime si putet alium non subventurum. Tunc ergo foret mortale ex avaritia non subvenite. In aliis autem communibus necessitatibus nõ intervenit ordinariè peccatum mortale, si eleëmofyna non detur. Sunt tamen qui condemnant peccati mortalis divitem habentem superflua statui suo, nullas eleëmofynas facientem in communibus necessitatibus pauperum, quia hæc misericordia gravis censeatur, graviterque repugnans charitati.

Sed *petes* : An quando quis est in gravi necessitate, sufficiat, illi mutua-re cum restitutionis obligatione, ubi venerit ad pinguiorẽ fortunam? Resp. si is qui eget non habeat, nec hoc loco, nec alibi, nec probabiliter putetur habiturus, tunc obligatio est ad dandum gratis : quia præceptum eleëmofynæ urget. Si verò ipse est hic inops, alibi habens sufficientia, aut certè vi-res habet & artem ad facile lucrandum, tunc satis esset dare mutuò.

3. *QUAERO. An prodigalitas sit peccatum*

P 4

tum

*rum mortale*? Resp. tunc prodigalitate censeri peccatum mortale, quando quis per illam etiam aliena consumit; ut cum aliquis sibi ad dispensandum commissa prodigit, vel se impotentem facit ad solvendum debita sua. Item cum quis propterea desinit providere familiæ, uxori, liberis Denique si prodigalitas talis sit, ut notabile scandalum generet, qualis potest esse quandoque in Ecclesiasticis.

4. *QUAERO. An peccata illa quæ filias avaritiæ nominantur, sint mortalia?*  
 Resp. filias avaritiæ nominari, fraudem, fallaciam, prodicionem, usuram, simoniam, perjurium, violentiam. Et hæc sunt filia eius, quatenus est contra justitiam; suntque peccata mortalia, nisi parvitas materiæ excuset. Inquietudo & obduratio filia avaritiæ etiam sunt, quatenus illa est contra liberalitatem. Inquietudo, quæ est immoderata sollicitudo ad acquirendum aut conservandum temporalia, non est mortalis, nisi propter eam aliquis omitat aliquid ad quod obligabatur sub

pecca-

peccato mortali. Obdurationem cordis quâ cor avari est durum erga pauperes, & ad eis subveniendum difficile mortalis est quando quis ex præcepto tenetur eis subvenire, ut jam diximus.

§. *QUAERO. Quid sit usura?* Resp. usuram dici quando lucrum accipitur ultra sortem ex vi & causa mutui. Potest verò id fieri implicite in variis transactionibus & contractibus. Hinc resolvunt Doctores esse usuram, si quis mutuet alicui ut ad suum molendinum veniat, vel ut ad suam officinam veniat ad emendum, vel ut in suo prædio laboret. Quod quidem intelligendum est, si de his intercedat obligatio civilis & stricta, nam si solum sit obligatio gratitudinis, sive si hoc expectetur ex amicitia quadam, non ex vi pacti, tunc non est usura. Immo adde, non posse alicui injici obligationem civilem remutuandi alio tempore, sine vitio usuræ; quia id est pretio æstimabile. Sic usura erit, si quis mutuet frumentum, ut postmodum aliud præstantius reddatur, vel

P §

ut



ut in majori quantitatè; nisi fortè frumenti pretium jam esset auctius, quàm erit tempore redditionis, ita ut mutuans pateretur damnum; potest enim ipse se indemnem servare. Item erit usura, si quis pecunias argenteas alicui mutet, cum obligatione postmodum reddendi aureos nummos, quia & hoc onerosum est, & pretio æstimabile. Si tamen ex amicitia id peratur, & non obligatione stricta, non erit usura.

6. *QUAERO. Quomodo per avaritiam peccetur mortaliter circa beneficia Ecclesiastica?* Resp. varios hic casus recēseri posse ad simoniam spectantes, reatum peccati mortalis inducentes. & quādo, que etiam obligationem restitutionis.

1. *Casus:* Qui dat pecuniam ut ei conferatur aliquod beneficium, peccat mortaliter. Similiter qui recipit pro collatione aut præsentatione beneficii; & ipse tenetur ad restitutionem.

2. Si quis conferat alicui beneficium, propter munus à manu vel obsequio, peccat mortaliter: Similiter & is qui

tale

tale beneficiū accipit. Ex. g. aliquis inter-  
servit alicui Prælato principaliter ut  
beneficium aliquod consequatur, tunc  
est simonia maximè si permissio aut  
pactum accedit saltem tacitum. Quia  
quando aliquid accipitur, vel datur  
pro beneficio quod sit pretio æstima-  
bile vitium incurritur simoniæ.

3. Qui dat mediatori aut intercessori  
aliquod pretiū, ut procuret sibi colla-  
tionem, etiam mortiferè peccat. Ratio  
est, quia hæc paria æstimatur dare col-  
latori, vel dare alicui tertio, ut ipsum  
collatorem moveat ad conferendum.

4. Resignare beneficium cum pen-  
sione, additâ conditione, ut is cui resi-  
gnatur postmodum sit obligatus redi-  
mere pensionem, est simoniacum.

5. Resignare beneficium alicui cum  
pacto, ut tibi restituat expensas quas  
fecisti in acquisitione beneficii expe-  
ditione litterarum, solutione jurium  
dum accepisti ejus possessionem, &c.  
ad simoniam spectat. Ratio est, quia  
omne pactum in spiritualibus de on-  
ere tēporali quod jure non est annexum  
reprobarur. V. Binsf p. 4. c. 5. De

De aliis quæ avaritiam concernunt, fraude, fallaciâ, perjurio in emptionibus, venditionibus, &c. Suprà sufficienter dictum est in quæstionibus super præcepto septimo Decalogi.

De peccato Luxuriæ & speciebus ejus tractatum est in quæstionibus super præcepto sexto Decalogi, ideò hic supersedeo. Videri etiam possunt quæ dixi de raptu sodomia, incestu, inter casus reservados post *Tractat. de Pœnitentiâ Candelab. nostro Myst*

### C A P U T III.

#### *De Ira & Invidia.*

I. **Q**UAERO. Quando ira sit peccatum mortale? Resp. cum ira ut in malum accipitur, sit appetitus injustæ vindictæ, censetur mortalis si vindicta quam quis appetit sit gravis, & perfectè volita: quia tunc est contra proximi charitatem, & contra justitiam in re notabili.

Potest verò esse venialis ob imperfectionem actus; vel defectu voluntarii perfecti, quando motus iræ perfectum judicium rationis prævertit;

vel

vel ex parte materiæ, cum quis modicam vindictam cupit. Sic supra dixi iram puerorum sese percutientium sine intentione gravis læsionis, venialem ordinariè cenferi.

2. *QUAERO. An quando quis gravem quidem vindictam non appetit, tamen graviter exardescit interius & perturbatur; vel etiam exterius excandescit, & iram per signa & clamorem multum patefacit, an censeatur peccatum mortale?* Resp. non cenferi, nisi qui ita accendatur, ut paratus sit aliquid facere quod sit peccatum mortale, vel nisi scandalum grave oriatur; quod quandoque contingere posset in Viris Ecclesiasticis, aut Religiosis.

3. *QUAERO. Si omnis ira non sit mortalis, quare Matth. 5. generaliter dicit Dominus: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio? Reum enim esse iudicio, apud Hebræos nihil est aliud, quam dignum esse condemnatione; & quidem mortis, nam illa, tamquam præcipua, dicitur absolute condemnatione & iudicium: & translata ad Tribunal*

bunal Dei, designat damnationem æternam, ut multi interpretantur.

R. sp. Christum ibi non loqui de omni ira, sed de ea quæ tendit ad homicidium, sive quæ quis alterius mortem desiderat *D Tho 2. q. 158. art. 3. ad 2.* Pōnit n. tres gradus homicidii. 1. est ira interna mortem desiderans. 2. eadem ira erumpens in contumeliam, sed levio-rem. Tertius eadem erumpens in contumeliam gravem, dum non solum *Raca*, sed & *Fatue* fratri dicit. In 4. est ipsum homicidium, aut percussio.

4. *QUAERO. An maledictio ex ira procedens sit semper peccatum mortale?*  
 Resp. cum maledictio sit mali imprecatio si quis grave malum animo deliberato alicui imprecetur, est peccatum mortale. Si verò in maledictionem erumpit solum ore tenus, corde vero & voluntate non velle illud malum quod imprecatur, peccatum est solum veniale. Quomodo frequenter parentes verba quædam maledictionis fulminant in proles immorigeras ex ira subitanea, absque voluntate mali; &

ita absque peccato mortali. Est tamen res periculosa, de qua graviter & frequenter sunt monendi

Adverte hic quosdam malum imprecari advertenter in ipso fervore iræ, & tunc etiam consentire in malū, mox autem placari, & pœnitere mali imprecati. *V. Cij. V. Maledictio.* Hi quādoque se excusant, quasi graviter non peccassent, quia mox malum noluisse, inquit ipsi; sed id non sufficit, quia in morula præcedentis temporis potuit esse sufficiens advertentia & cōsensus ad peccandum mortaliter; illa autem quæ statim subsequitur pœnitentia & nolleitas mali, indicat in peccato non fuisse permanentiam, non verò facit, ut non fuerit consensus. De quo rudes in Confessione examinandi sunt, quia putāt exiguum fuisse peccatum, eò quòd non durarit ira, aut quia malam imprecationē mox revocarint.

5. *QUAERO.* *Quid de contumelia, convitio, improprio, an semper sint peccata mortalia?* Si quis notabiliter intendat lædere alterius honorem, vel excontem-

contem-

contemptu illa procedat, peccat mortaliter. Si quis verò ex ira levi aut animi levitate absque animo inhonorandi aliquid objicit, censeatur veniale peccatum. In peccatis verborum maxime consideratur ex qua intentione & affectu proferantur. Si tamen advertat aliquis graviter aliquem commovendum & lædendum ex aliquibus objectis, licet fortè ei non sit animus graviter inhonorandi, posset mortaliter peccare; tum quia occasionem gravis peccati alteri dat, tum quia dum advertit alterum graviter lædi, (etiam si non faciat eo animo) tamen actus redit in naturam suæ formæ, ut loquuntur Theologi.

6. *QUAERO. Quale peccatum committunt, qui sibi vel alteri ex ira dicunt: Maledictus dies quo ego natus sum. Maledictus dies quo natus es. Maledictus dies quo primum unquam te vidi. Maledictus dies quo te in conjugem accepi. Maledicti qui unquam id mihi suaserunt, & similia. Resp. hic esse discernendum animum ejus qui sic maledicit. Si enim*

nim maledicendo diei, intendit quis solum irrationabili creaturæ maledicere, ita ut intendat solum quod dies maledictus sit, tot mala culpæ vel pœnæ producens, sive nativitatis sit dies, sive conjugii, censetur solum peccare venialiter, & quandoque etiam potest non peccare, ut *Job*. Si verò per illam maledictionem intendit optare malum homini nascenti, sive sibi, sive alteri, item personis illo die conjugatis, sive sibi, sive conjugii, peccatum mortale est. Unde deliberato animo id facere, vel his qui conjugium suaserunt maledicere, à mortifero peccato non excusatur. Sed cum sæpe non intelligant proprium sensum verborum quæ proferunt, & ex pravo magis usu hæc pronuntient, quam ex voluntate mali, tunc excusationi à peccato mortali locus esse poterit.

7. *QUAERO. Quale peccatum sit indignatio, quæ dicitur filia iræ?* Resp. indignatio dicitur, quando homo non vult videre eum cui irascitur, nec cum eo loqui aut conversari, quia eum indignum

dignum



dignum iudicat suā conversatione & affabilitate. Communiter autem est peccatum veniale, nisi scandalum accedat, vel casus quo ei teneatur loqui. Potest verò in superiore erga inferiorem fieri ex iusta causa correctionis, sine peccato, Sed & indignatio potest crescere usque ad contemptum & odium proximi, & tunc est mortalis; de quo est examinandus pœnitens.

8. *QUAERO. Quale peccatum sit tumor mentis, qui etiam recensetur inter filias iræ?* Resp. quidam vocant tumorem mentis, quo seipsum irascens extollit, & alteri præfert. Facit enim ira, ut is qui offensus est, se apprehendat ut magnum, & extollat; eum verò qui offendit ut vilem, & contemnat; quomodò & animalia in ira intumescunt & extollunt. Si itaque sit perfectus in tumore contemptus, tunc peccatum mortale committitur, alias non. Alii tumorem vocant, quando irascens animum suum replet diversis cogitationibus amaris, quibus apud se cogitat diversas vias se vindicandi, & habet  
multi-

*multiplex propositum id perficiendi.*  
Itaque hic tumor, quia ex gravi & diu-  
turna ira procedit, cum viæ multæ vin-  
dictæ iniustæ excogitantur, in remota-  
bili gravis est & mortalis.

9. *QUAERO. Quæ signa dilectionis ini-  
mico tenetur quis exhibere?* Resp. tene-  
tur exhibere signa charitatis genera-  
lia, ex præcepto: signa autem particu-  
laria non tenetur, nisi ex consilio, in  
præparatione tamen animi debet esse  
paratus subvenire ei in necessitate. V.  
quæ dixi Horti Past. Tom. 3. Tract. 2.  
Lect. 3. in fine.

10. *QUAERO. Quale peccatum sit in-  
vidia?* Resp. cum invidia sit tristitia  
de alieno bono in quantum tale bonū  
minuit excellentiam invidentis, si il-  
la tristitia sit voluntaria & deliberata,  
sitque de gravi bono alterius, morta-  
lis est. Motus autem imperfecti invi-  
diæ, veniales sunt. Sic si quis delibe-  
ratè exultet in adversis proximi ob  
invidiam, mortaliter peccat: sicut &  
prosperis ejus ob eandem invidiam  
se contristando & affligendo. Ex invi-  
dia

dia solet oriri odium proximi, & illud etiam ex suo genere est mortale: potest autem quis sine peccato odisse peccatum proximi, & pravas consuetudines, quia cum hoc stat quòd proximum diligit.

Ex invidia etiam oriri solet detrahitio, susurratio, & similia, de quibus dixi super *Præcept. 8. Decal.*

*Advertat* autem Confessarius, confundi frequenter à confitentibus invidiam cum æmulatione: Est autem æmulatio tristitia de alieno bono, non quia ille alius benè habet, sed quia ipse qui tristatur non habet: & hæc à Confessariis distinguenda est ab invidia perfecta; est enim ordinariè æmulatio illa solùm venialis, qualis frequens est inter homines ejusdem artis vel professionis.

#### C A P U T I V.

##### *De Gula & Acedia.*

I. **Q**UAERO *Quale peccatum sit Gula?* Resp. cum Gula sit appetitus inordinatus cibi vel potus, ordinariè est solùm venialis, nisi propter gulam  
quis

quis paratus sit transgredi præceptum aliquod Dei, vel Ecclesiæ, puta furari propter gulam satiandam, vel frangere jejunium, non solvere creditoribus; ut opiparè & gulosè vivat.

2. *QUAERO.* *An comedere vel bibere inordinatè usque ad vomitum, non sit peccatum mortale?* Resp. quosdam affirmare, inter quos Angelus, V. *Munditia*, & Sylvest. V. *Gula*. Communior tamen opinio negat. Quamvis & aliqui illorum dicant usque ad vomitum se ingurgitare esse mortale, quando aliquis ita est gulæ addictus, ut evomet voluntariè ad finem iterum bibendi & comedendi, ac de novo se ingurgitandi; videtur enim id involvere magnam deformitatem contra naturam. *Adverte etiã, quod ingurgitatio cum gravi sanitatis detrimento censerì debeat mortalis, siue circa nimium cibũ versetur, siue circa potum. Quod autem aliquis sequenti die ob potum pridianum capite multum doleat, non potest censerì ideo mortale, si absit peccatum morbi gravioris.*

3. *QUAERO*

3. **QUAERO.** *Quando ebrietas mortalis sit?* Resp. quando scienter quis se inebriat, & usu rationis privat. Censetur autem scienter id facere, quando potuit & debuit advertere ex immoderato potu ebrietatem secuturam licet eam non intenderet. Aliàs quando quis ignorans vim vini, omnino æstimavit non secuturam ebrietatem, licet videret aliquam immoderationem, potuit esse venialis secuta ebrietas. *Adverte iterum hic, quosdam ventri & gulæ deditos frequenter peccare mortaliter, licet ebrietas nõ sit secuta, quia scilicet nocte dieque bibentes, aperte exponunt se periculo ebrietatis, parumque curant an ea sequatur.*

4. **QUAERO.** *Quibus signis agnosci poterit, an quis ebrius fuerit?* Resp. si postridiè non meminit eorum quæ egit, vel dixit; aut quomodò domum rediit, aut cubitum concesserit, quoduce, aut adjutore, & similia, signum est ebrietatis. *Item, si egit aliquid quod integrâ mente numquam solet, v.g. jurabat, blasphemabat, familiam*  
 pertur-

perturbabat, cum aliàs soleat esse mo-  
 destus, benignus, turpia agebat aut lo-  
 quebatur, cum soleat esse castus, si-  
 gnum etiam est fuisse rationem sopi-  
 tam. Aliàs qui novit discernere inter  
 bonum & malum, licitum & illicitum,  
 vitare mala, eligere bona, non videtur  
 esse ebrius, licet recta nequeat incede-  
 re, & domus ei verti videatur. Simili-  
 ter, si possit adhuc solita officia ut  
 cumque exequi, etsi cum vertigine &  
 difficultate. Ita *Less. l. 4. c. 3. dub. 4. ex*  
*Cajet. V. Ebrietas.*

§. *QUAERO. Quale peccatum sit pro-*  
*vocare ad aequales haustus? Resp. si fiat*  
 animo se vel alium inebriandi, aut ad-  
 vertere facile quis possit in se vel in al-  
 tero ebrietatem secuturam, peccatum  
 est mortiferum, nisi forte justa causa  
 excuset. Hoc addo, quia aliqui existi-  
 mant posse esse licitum ex causa alte-  
 rum inebriare, vel etiam se. Exempli  
 causa detinetur, quis à volonibus, aut  
 ab hostibus, non potest evadere nisi il-  
 los inebriet. Item meditatur quis pro-  
 ditionem vel homicidium, nec potest  
 averti

averti nisi inebrietur, provocando ad  
 æquales haustus, & se etiam ebrietatis  
 periculo committendo. His & simili-  
 bus casib. putant licitum se inebriare  
 vel alterum: tum quia licitum est qui-  
 busdam casibus suadere vel inducere  
 ad minus malū, ut impediatur majus:  
 tum etiam, quia privatio usus rationis  
 ex potu, non est ita intrinsecè & per se  
 peccatum, quin quandoq; liceat. Nam  
 causa medicinæ ad arcendum morbū,  
 fumere potum etiam usque ad ebrie-  
 tatem, ex præscripto Medicorum lici-  
 tum est: Ebrietas enim propriè est ex-  
 cessus in potu usque ad privationem  
 rationis causa voluptatis factus. Itaq;  
 ad vitandam mortem, cū non fiat  
 causa voluptatis, videtur posse quis  
 bibere usque ad ebrietatem, si aliter  
 quis non potest evadere. Ex. gr. Nisi  
 æquali cyatho respondeas, provocat  
 te alter ad duellum, vel gladio te inva-  
 det. V. latius de his *Less. l. 4. c. 3. dub. 4.*

6. *QUAERO. An peccent mortaliter  
 cæpones, vinum vendendo illis quos sci-  
 unt ex illo inebriandos? Hic casus est fre-*  
*quent*

quens, nam illis promittitur adhuc vinum, incopia, cum jam proximi ebrietati cernuntur? Resp. peccare mortaliter, si sine incommodo, petentibus denegare possunt, & ebrietatem eorum impedire; Etenim quando id commodè vitare possunt, nec faciunt, censentur & consentire quia non solum non impediunt, sed etiam materiam peccandi suggerunt. Quod si verò sine notabili incommodo denegare non possunt, tunc excusantur. Nec enim tunc facere censentur causa operationis, sed vitandi incommodi causa, & involuntariè, nec intendunt ebrietatem illorum. Sic ancilla jubente Domino promere potest, licet videat inebriandum, quia sine incommodo negare nequit. Simile est in aliis exemplis, auriga potest vehere Dominum, vel Dominam suam ad locum adulterii, nec censetur cooperari, licet sciat adulterium ab illis committendum in loco ad quem vehit. Naaman Syrus poterat comitari Dominum suum ad locum idoli & sustentare adorantem.

Q

Itaque



Itaque si caupo aut hospita timet querelas & rixas graves, vel convitia, juramenta & blasphemias si promere desinat, non censetur cooperari ebrietati si promat: *Item* non poterit solutionem impetrare convivii, nisi adhuc promat: item ad aliam tabernam sunt ituri, nec peccatum impedietur. His, inquam, & similibus casibus non censetur mortaliter peccare, quia censetur facere involuntariè, & res per se est indifferens, nec fit causa cooperationis, sed vitandi incommodi. Idem dic de cauponibus apponentibus cibos in die jejunii illis qui petunt cœnâ licet enim sciant aliquos nō excusari, non censentur tamen cooperari, si sine incommodo non possunt illis denegare, ut ferè ordinariè fit; atqui etiam denegando, peccatum non impediunt, quia aliò ituri sunt, & ibi cœnaturi.

7. *QUAERO.* An ebrio imputentur peccata quæ in ebrietate committit, puta fornicetur, si occidat, aut vulneret V. D. D. 2.2 q. 35 art. 2. Resp. si non fuerit culpabilis ebrietas, mala etiam secuta nō

impu

imputantur ei ad culpam. Si verò fuit culpabilis, videndum an similia solitus erat facere in ebrietate, puta quia tunc rixosus esse solet & lubricus; & tunc cum potuerit & debuerit prævidere & præcavere, imputantur ei ad culpam mortalem, tamquam voluntaria in causa. Si autem non solitus sit similia agere etiam ebrius, nec ullo modo ea potuit prævidere, non imputantur ei ad culpam novam.

8 *QUAERO. Quale peccatum sit Acedia?* Resp. cum Acedia sit fastidium spiritualium rerum & divinarum, sive tristitia eò quòd sint res spirituales, si sit perfecta & deliberata, mortale peccatum est. Sic peccat mortaliter qui tristatur ex deliberato consensu voluntatis, quod creatus sit ad gratiam, ad merita, ad gloriam. *Item* qui ex tædio & tristitia rerum spiritualium deliberatè appetit mortem, aut vellet se numquam fuisse natum, vel se esse bestiam. *Item* qui ex tali tristitia omittet quæ sunt necessaria ad salutem. Aliàs facere quæ sunt præcepti, licet

Q 2

cum

cum tædio, non erit mortale, quandoque nec veniale, si ratio non consentit.

## CAPUT V.

*De jejunio quod adversatur Gula.*

I. **Q**UAERO. *An licita sit collatio vespertina, qualis & quantitas.*  
 Resp. ex communi Doctorum, licitam esse ratione consuetudinis, etiam alendi causa Resp. 2 Quo ad quantitatem, non posse determinari: Solum generaliter dici potest, mēsuram ejus esse, quam pro varietate locorum & personarum consuetudo apud timoratos permittit. Cū enim regionum aliæ sint aliis frigidiores, cumque quidam egeant lōgè ampliori cibo quam alii, hinc diversitas nascitur, ut respectu unius modicum censeatur, quod respectu alterius non esset: & cū collatio sit per consuetudinem introducta, juxta receptæ consuetudinis limites est moderanda. Nonnulli putant quartam partem eorum quæ sufficerent ad ordinariam cenam sumi posse. Ita Reginal. Laym. Filiuc. qui dicit hoc in celebri Theologorum Academia definitur.

ritum esse. Alii 8. uncias permittunt,  
vel panis solius, vel partim panis, par-  
tim fructuum. *Hanc tenet Stephan. Fa-*  
*gundez, & dicit fuisse sententiam Suarez.*

Difficultas est de qualitate, an pos-  
sit quantitas illa medica sumi de cibis  
qualibuscumque licitis in diebus je-  
junii, puta de piscibus? Bonacina asse-  
rit *in vespertina collatione non tam cibi*  
*qualitatem quam quantitatem attenden-*  
*dam; & ita liceret collaciunculā de pis-*  
*cibus, aut etiam de ovis extra Quadra-*  
*gesimam sumere, si modò quantitas*  
*non excedatur. In hunc autem insurgit*  
*acriter Ant. Diana, prima part. tract. 9.*  
*resolut. & asserit sic frangi jejunium, &*  
*peccari mortaliter ob qualitatem cibi*  
*sumpti; allegatq; operosè multos Do-*  
*ctores dicentes non licere collationem*  
*facere nisi cum modico pane, & fructibus,*  
*vel herbis, aut electuariis, & similibus le-*  
*rioribus cibis, nec aliud consuetudinem*  
*permittere; sed esse corruptelam. Hista-*  
*men non obstantibus, Bonacinae senten-*  
*tiam nonnulli sequuntur, & dicunt lice-*  
*re loco fructuum, vel piscium, vel pi-*  
*scis*

scis grandioris particulam sumere, vel  
 aliquid cibi alterius cujuscumq; liciti  
 in diebus jejuniorum, si modò non ex-  
 cedatur quantitas modica. Et quamvis  
 non sit suadendus ordinariè hujus sen-  
 tentiæ usus, ramen cum causa aliqua  
 adest, potest fieri sine peccato; & si fiat  
 sine ulla causa excusante, ego non exi-  
 stimo esse nisi veniale; & puto Ant.  
 Dian. in censura excedere, dum asserit  
*sine dubio peccari mortaliter & frangi je-  
 junium.* Caj. hac de re sic loquitur favo-  
 rabilius in Summula V *Jejunium: Ad  
 hoc videtur serotinum jentaculum redu-  
 ctum, ut non referat quid quisq; sumat,  
 si modum non excedat: & recte quisq; si  
 bi consulere videtur, qui illud sumit quod  
 suæ complexionis plus prodest, ex quo medi-  
 cine causa conceditur.* Hæc ille. Immo  
 quandoquidem etiam alimenti causa  
 sumi possit collatio (ut ex communi  
 sententia ipse asserit *Diana*) cur modi-  
 cum sumere alimenti diebus jejuno-  
 rum liciti, etiam si piscis sit, vel aliquid  
 alterius cibi, esset peccatum mortale?  
 Quomodò valeat probare iniversa-  
 lem

lem consuetudinem, non permittere nisi arborum fructus, sicut ficus, amigdala, uvas passas, nuces, poma, pira, cerasa, olivas, herbas oleo & aceto mixtas, & similia, vel alia dulciaria, & cibos leviores? Hoc quidem de Italia, & similibus aliis Provinciis & Regnis fortè afferetur veri similiter, ubi similes fructus optimi & delicati reperiuntur in copia, & complexioni incolarum convenientissimi sunt. Scimus autem in Belgio passim usitata consuetudine permitti non solum fructus, sed & aliquid butyri & casei cum pane. Attamen hæc inter leviores cibos non censentur; cum magis quam piscis caseus sit nutritivus, & in diebus jejunii quibusdam in Regionibus prohibitus. Ipse quoque *Joan. Azor. Loritanus à Diana* citatus, cum dixisset fructus esse ordinarium collationis cibum cum modico pane, etiam pisciculum permittit. Atque cum multi talis sint complexionis, ut fructus eis non conducant, nec butyrum, aut caseus vespertino tempore, nec

panis solitarius; cur particulam piscis modicam cum pane, vel quid aliud exiguum sumere non valeant, etiam si a jejunio non excusentur? Non quidem, ut dixi, facile sunt hæc in usum deducenda sine causa; attamen si peccatum sit, veniale peccatum non excedere, sentio cum multis, etiam si causa sufficiens non adesset. Sic & his in partibus videmus non fieri scrupulum si quis particulam placetæ edat vesperi extra Quadragesimam, licet ova juxta sint.

2. QUÆRO. *Quinam excusentur a jejunio?* Resp. causas excusantes ad tria capita Theologos reducere, *Impotentiam, Laborem Pietatem*. Ob impotentiam excusant eos qui sine gravi incommodo non possunt jejunare, ut sunt infirmi vel convalescentes, & qui vacuo stomacho patiuntur capitis dolorem, vel vertiginem, vel noctes insomnes ducunt. Prægnantes, vel lactantes, & pauperes justam refectioem non habentes, ob eandem causam excusantur. Et nota quod mulier gravida si timet proli ob desiderium vehemens carnis,

carnis, non peccat comedendo. Excusantur etiam pueri usque ad tertii septennii finem; quia usque ad illud corpus eget copioso alimento. Atque pueri parvuli usque ad septennium possunt vesci carnibus & ovis, quia non obligantur legibus Ecclesiæ.

*Quæres* quid de Senibus? Resp. cum senectutis tempus non ita sit determinatum, sed secundum medicos in quibusdam incipiat circa annum quinquagesimum, in aliis tardius, vel citius, hic determinari non potest tempus excusationis præcisè, sed secundum robustam & vegetam, vel infirmam ac languidam complexionem hoc judicandum volunt Doctores. Ordinariè excusari solent sexagenarii: imò aliqui eos excusant absolutè, licet appareant satis vegeti; eo quòd egeant cibo frequentiori, & quia natura se ad interitum tunc paulatim disponente, consulere possunt futuro, ne citius corruant, aut deficient. Pro hac sententia stat *Ant. Diana*, citans nonnullos recentiores, inter cæteros *Lamas*,

Q 5

qui



qui asserit *Pium* 5. hac de re interrogatum, ita vivà voce respondisse. Ejusdem est sententiæ *Sancti*. qui etiam dicit eum qui vovisset certis diebus tota vita jejunare, post annum sexagesimum liberari, nisi constet de alia voventis speciali intentione. Sed hoc alii rejiciunt; quamvis hic dici possit sic voventem obligari quamdiu sine notabili corporis detrimento jejunare potest; hoc enim subintelligi videtur in voto. *V. Laym. l. 4. tract. 8. c. 3.*

3. **QUAERO.** *Qui excusentur ad laborem?* Resp. excusari quotquot suo vitent labore, cum quo jejunium consistere nequit sine incommodo vel difficultate gravi. Tales sunt ferè mechanici omnes, & artifices quorum art labor gravis est conjunctus; & quidem excusantur, sive divites sint, sive pauperes, modò de facto laborem subeant. Ita declarasse *Eugenium* 4. asserunt *Sylvest.* & alii passim hac de re tractantes. Dixi, quorum arti labor gravis est conjunctus, nam eos quorum ars non est laboriosa multùm, non excusant *Doctores.*

tores. Hinc factores non excusari ple-  
 rique afferunt; *Fagundes* tamen & *Le-*  
*des.* (citati à *Diana resol.* 8.) eos excu-  
 sant ob declarationem *Eug.* 4. quam  
 putant indiscriminatim omnes artifi-  
 ces complecti. Ego censerem quando-  
 que posse excusari, dum à summo ma-  
 ne in multam noctem continuò per  
 plures dies sunt operi intenti, quia li-  
 cet non reperiatur tantus in ea arte la-  
 bor corporalis, tamen attentio conti-  
 nua ad opus satis subtile multum fa-  
 tigt, & exhaurit, ac caput vacuum  
 reddit; ita ut egeant ampliori vesper-  
 tina refectione, quãdò per plures dies  
 continuò suo vacant operi. Idem de  
 pictoribus & aurifabris iudicium esse  
 possit, dum continuatè suæ arti inten-  
 dunt. Sutores passim excusant Theo-  
 logi contra *Toletum* l. 6. c. 4.

Sed quæres, an qui ob laborem excu-  
 santur, si festum incidat, teneantur je-  
 junare, aliisq; diebus quibus intermittunt  
 laborem?

Resp. passim tales non solere dieb.  
 illis jejunare. Excusant se, quod non  
 sint

sint affueti jejuniō, ideoque planè eis grave est, si mane cibum non sumant, aut vesperi non cœnent. Deinde quia labore præcedentium dierum sunt fessi, putant sibi licere vires restaurare; & quia indigent viribus ad laborem dierum sequentium. Quare eos probabilis excusat opinio, teste *Azor.* 1.7.6.17.9.8. quam sequitur *Ant. Diana*, & nonnulli recentiores.

Petes: *Quid dicendum de itinerantibus?* Resp. Si pedibus iter agunt majori parte diei, excusantur, puta iter quinque vel circiter leucarum nostratium. Si autem curru vel equo, non excusantur, nisi fortè equitent pluribus continuis diebus, aut certè extraordinariè longum omnino iter conficiant aliquo die, puta decem aut duodecim circiter leucarum, cum gravi labore.

4. *QUAERO. Quinam excusentur ob Pietatem?* Resp. excusari illos qui operibus præstantioribus vel majoris momenti incumbunt, quæ ipsi cum jejuniō perficere nequeunt. Talia sunt opera misericordiæ, & corporalia & Spiritua-

Spiritualia, ut concionari; docere, audire confessiones, administrare Sacramenta, agris operam impendere, &c. Nota generaliter, quod qui bona fide putat se excusari, & ideo non jejunit, non peccat saltem mortaliter. Idem dic de collatione majore.

§. QUÆRO. *Quid de hora refectiois?*

Resp. olim fuisse circa tertiam pomeridianam, nunc passim est circa meridiem; anticipare autem per unam vel circiter horam, si causa subsit, non est peccatum; v. g. si iter agendum, si hospes dimittendus, si negotia postea superveniant: sine justa causa, etiam solum esse veniale multi opinantur. Ratio est, quia non violatur substantia jejunii quæ est sita in abstinentia certorum ciborum & in abstinentia secundæ refectiois, sed variata hora variatur solum circumstantia accidentalis, quæ multam habuit in Ecclesia varietatē, manet autem substantia jejunii. Sic qui sumunt mane vel meridie collatiunculam cœnâ in vesperam dilatâ, si subsit causa, non peccant, si non sit causa,

R

etiam

etiam solum veniale est ob eandem  
rationem, quia manet substantia jeju-  
nii. Ita *Tolet. & alii.*

An quis teneatur jejuniis locorum  
per quæ transit, vel jejunio oppidi sui  
quandò est absens, dixi dum de festi-  
egi sub 3. *Præcepto Decal.*

## APPENDIX.

Querimoniam continens Abstin-  
tiæ sanctæ.

*De variis hominum statibus, ipsam par-  
vi facientibus.*

**Q**Uæ hætenus produximus de je-  
junio, secundum probabilem o-  
pinionem Doctorum accipienda sunt,  
quam scire debent Confessarii & Pa-  
stores. Non enim proposuimus ista ut  
laxentur habentibus quibusdam, qui cu-  
ram carnis faciunt in desideriis, & animam  
infrunito sectantur concupiscentias ven-  
eris. *Rom. 13. Eccl. 23.* Confessariorum  
munus est, & Concionatorum, ac Pa-  
storum, eos seriò hortari, monere, ar-  
guere; non verò nimia indulgentia &  
facilitate eis condescendere, ne in ip-  
sos cadat illud Propheticum impro-  
perium.

perium: *Consuunt pulvillis sub cubito  
omnis ætatis, & parietem liniunt absque  
paleis & temperamento. Certè querimo-  
niam hic meritò deponimus, ex par-  
te SANCTAE ABSTINENTIAE, quæ  
mæsta luget, quod cum olim tanta  
cum veneratione exciperetur, & tot  
sui asseclas cum gaudio intueretur,  
nunc penè ab omnibus deseritur &  
eliminatur. Dicebat quondam S. Bas.  
serm. 1. de jejunio. Nemo à jejunantium  
numero se subducatur, in quo & genera-  
tiones cunctæ, sexus, ætas, & ordo in-  
cluduntur. At modò, omnis ferè se-  
xus, ætas, ordo, & generatio, sese à je-  
junantium numero subducere nititur,  
varias prætexens excusationes, quæ  
utinam non sint perizomata & folia  
filiorum Adæ ad cooperiendam nudi-  
tatem, quas ventus divinæ æquitatis  
discutiet & excutiet, ac amandabit ad  
ignem. Iterum repeto: Passim à mini-  
mo usque ad maximum litem inten-  
dunt contra SANCTAM ABSTI-  
NENTIAM, cælestem Nympham, &  
contra illam præscribere moliuntur*

in terris, ita ut vix locum reperiatur; variasque allegationes habent, quibus conquirunt patrocinant, Canonistas, Theologos, Medicos, Attende particulariùs:

1. Adveniunt Magnates & Nobiles, & quia ob delicatam & nobilem complexionem sibi multum deberi autumant, fastidiunt pisces, nec solum ovis & ovibus vesci volunt, sed & volucres cœli quærunt: hanc suam esse partem rati, quam *Deus levavit in aëra, licet ex aquis ortum genus*, non verò ita eam quam remisit gurgiti. Inveniunt autem sibi faventes hac in re medicos, & ideo tota verecunda cogitur exire ab eorum Aulis *Sancta Abstinencia*.

2. Prodeunt alii pingues, & divites, nati servire non Domino, sed abdomini, de quibus dicere possit Nympha nostra macilenta: *Tauri pingues obsederunt me. Et hi igitur si non fuerint saturati, murmurabunt. Psalm. 58.* Quapropter ut tædium jejunii fallant, prandia in vesperam usq; producunt, amicosque cum quibus convivunt

in vie

invitant; audiverunt enim illud sibi  
jucundum, & promptis exceperunt  
auribus & animis: *Propter amicum non  
frangitur jejunium.*

3. Accedunt *Negotiatores terræ, Filii  
Agar qui exquirunt prudentiam quæ de  
terra est. Baruc. 3.* & negligunt eam quæ  
de cælo. Et hi sibi ad sua negotia dis-  
currendum, aut iis magna diei parte  
vacandum asserunt; idque non fieri si-  
ne grandi fatigatione & capitis & cor-  
poris: ideoque hi passim non tam cæ-  
nulam quàm cænam vespertino tem-  
pore instituunt, & ut somnum sibi cõ-  
cipient, largè sibi indulgent, ac magna  
libertate utuntur, sive domi, sive foris.  
Inveniunt quoque & hi nonnullos sue  
causæ contra *Abstinentiam* patrocini-  
um suscipientes.

4. Confidenter & audacter locum  
hic sibi poscunt & audientiam, ex ur-  
bibus, & vicis villisque, concurrentes  
Artifices & Mechanici penè omnes,  
Fabri ferrarii & lignarii, Fossores & la-  
picidæ, Agricollæ & messorum, Cæmẽ-  
tarii & Figuli, Fullones & Lanarii, Tex-



tores & Sutores, laboremque allegant  
 suum, tamquam causam omni excep-  
 tione majorem. Concurrunt & cum il-  
 lis Sartores, Pictores, Sculptores, Au-  
 rifabri & Argentarii, ac Barbitonso-  
 res; sed murmurat quod aliqui è Theo-  
 logis & Canonistis eos negent ejusdè  
 privilegii cum præcedentibus confor-  
 tes. quandoquidem *Eugenii IV.* decla-  
 ratio eis etiam favere videatur. Sic his  
 etiam contestantibus, & suæ exemp-  
 tionis Patronos nonnullos invenien-  
 tibus, ab omnibus Officiis eliminan-  
 da censetur S. ABSTINENTIA.

5. Veniunt pauperes, & suam alle-  
 gant inopiam, & Tuguriorum suorum  
 tenuitatem & angustiam, malè aptam  
 ut hospitio excipiant hanc Dominam;  
 ideoque ad domos divitum illam re-  
 mittunt, noluntq; urgeri ut certa ho-  
 ra secundum Ecclesiæ determinatio-  
 nem comedant, sed prout se offert o-  
 portunitas cibi comedere volunt, quia  
 quandoque non adest, nisi parcè ad-  
 modum.

6. Adsunt Famuli & ancillæ suam

cau-

causam agentes, variaque ministeria allegantes, propter quæ mane jentaculum est præsumendū, ut illa melius obire valeant, & vesperi cæna. An non & hic dabitur executioni locus? Certè hi Abstemiam in Triclinio torvo intuentur oculo.

7. Audientiam etiam hic postulant juvenes & senes, & absolutè volunt à jejunijs eximi; illi quidem ob teneram ætatem adhuc incrementem, hi ob deficientem. At tamen juvenes hi sæpius reperiuntur esse ad malum fortes, & ut quidam eis fortiter opponit antiquus Doctor; *Fortes sunt ad fornicandum, non erunt ad jejunandum?* Senioribus etiam nonnullis opponi potest quod *Potentes sint ad miscendam ebrietatem, Isa. 5.* quodque in priori ætate sæpius vacarint lascivix & intemperantiæ, cur igitur dum nunc tempus eis adest pœnitentiæ, negant locum Abstemii? Quicquid sit, in causa sua producant advocatos potentes, qui eis tutelam exhibent & exemptionem.

R 4

3. Milit

8. Milites excubias agunt, ut jejunium arceant à castris & stationibus suis, ac oppidis, existimantes quasi Hostem qui eos velit cogere ad deditorem. Quapropter cum eis dispensandum est, ut non solum non jejunent, sed etiam carnibus vescantur, ad hoc sufficit gladium portare, hastam vibrare, bombardam humeris gestare. Quibus quidem bellicis instrumentis **S. ABSTINENTIAM** à suis valent Castris & Custodiis propulsare.

9. Adventant mulieres, & nuptæ, & in nuptæ, ut hic etiam suam tueantur causam multorum patrocinio sustentam. Et quidem nonnulli virgines nubiles eximendas à jejunio definiunt, quia earum timetur sanitati & formæ, ne ad conjugium ineptiores reddantur: nuptæ autem viris debent placere: qui crebò cum eis rixantur ob jejunium, deinde tenentur reddere eis debitum conjugale, cui nō parum obest frequens jejunium. Sic ergò excusantur, etiam si nec graviores sint, nec lactantes. Ac tota penè excusabiles vi-

ta fun  
ob sta  
oner  
post  
go A  
lamis  
10  
tores  
Offic  
admi  
tissim  
audie  
tuli,  
Et hi  
Absti  
in T  
Mini  
pher  
junat  
II.  
cion  
gnav  
sic p  
runc  
Ten  
ritō

ta sunt, vel ob juvenilem ætatem, vel ob statum conjugii eiq; annexa uxoria onera & incommoda, vel ob senilem postmodum impotentiam. Procul ergo Abſtinentia ab earũ Thalamis & Gynecæis.

10. Confluunt Advocati, Procuratores, Conſiliarii, Notarii, Judices & Officiales, Grefſarii, aliique Juſtitie adminiſtri, & proclamant ſe occupatiſſimos in ſtudento, in ſcribendo, in audiendo, ita ut capite toti ſint obtuſi, ideoque poſcunt & ipſi excuſari. Et his quoque non deſunt fautores, ut *Abſtinentia Sancta* vix reperiat locum in Tribunalibus, ſive Tribunalium Miniſtris. Forſan volunt ſibi illud propheticum impropetari: *Vos ad lites jejunatis. Iſa. 58.*

11. Concurrunt Confeſſarii, ac Concionatores, aliique Sacerdotes ſtudiis gnaviter & laborioſè incumbentes; & ſic peritè ſuam cauſam inſtruere norunt, ut etiam à Templo, ſive pleriq; Templi Miniſtris licentiam poſſit merito accipere S. *Abſtinentia*; quam ei

R s etiam

etiam Licentiam dant, qui Cathedras & Pulpita pro lectione publica conscendere tenentur ex sua professione, ita ut Cathedræ Professores & publici Lectores jejunio non obligentur.

12. Quid de Musicis dicam & Cantoribus? Nec hic tacent ipsi. Sed queruntur raucam effici piscibus vocem suam. & per jejunia lædi; quapropter decretum expetunt in favorem suum, Habent verò Patronum in sua causa JOANNEM SANCIUM in selectis, disputat 44. sic loquentem: Cantores conducti ad canendum, sive salarium aut præbendam ad id habentes, possunt non servare jejunium, si ad canendum redderentur inhabiles. Et usdem ovīs in Quadragesima vesci fas erit, causa vocis conservande: non enim causa jejunii ascribitur est aliquis diminutè suum exequi munus. Adjungit sese huic patrociniō faventem Ant. Diana. Resol. II. dicens: Quod ego urgentius procedere existimo in cantoribus ad solatium magni Principis in camera concipientibus. Quid favorabilius? Propterea nonnulli Cantores, quan-

tum in se est, excantare, & à cætu suo amoliri conantur rigidam hanc & austeram abstinenciam voci nocuam; & contra eam stomachantur, quia laborant stomacho & gutture.

Prætereo Curiales Romanos, qui pro collatione vespertina medias cænas in Cænaculis suis admittunt, quia pullas timent tenebras in præsentia Romani solis hæc scientis & videntis. Fortè eorum nonnulli se censent de pumero Sodalium, & amicorum ac Filiorum Sponsi, qui non solent jejuna-  
*re, quamdiu sponsus cum eis est. Cajet. V. Jejunium in fin.* Sed patronum etiam habent Cardinalem Cajet. qui dicit eos jejunia non frangere, quia *jejunant more Curie*; idq; ait fieri ex gratia generali summi Pontificis.

Quoniam verò multorum subire domos *Abstinencia sancta* nequit, sed à Palatiis, Magnatumque Aulis à Divitum & Mercatorum Ædibus, ab Artificum Officinis, à Pauperum Tuguriis, à Cauponum Tabernis secedere debet: quò se recipiet? An ad Clau-

stra & Cœnobia? Sanè & ibi quandoque protruditur, nisi se recipiat in interiorem Conventum: quia cùm pletraque cœnobia propter adventantes obligentur ad hospitalitatem, ibi charitas debet præsidere sic amplè & decorè, ut vix det locum abstinentiæ.

Hæc eo fine dicta sint, non quod ignoremus multos illorum de quibus differuimus verè excusari à jejuniis, quia Ecclesia mater pia est, quæ gravibus cum incommodis noluit Filios suos arcto obligare præcepto, ne laqueum plerisque injiceret, sed quod probè noverimus, nec tantillum multos velle subire incommodum, facilemque si vellent laborem, ut satisficiant sanctæ intentioni Christi Domini exemplo suo nos hortantis, aut intentioni matris suæ. Sponsæ Christi. Unde quæritant undiq; excusationes, nec eas ponderant in statera & pondere Sanctuarii: sed in fallaci bilance seculi, de qua scriptum est: *Mendaces Filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Sed tandem eis illud

illud conveniet: *Appensus es in statera,*  
*inventus es minus habens.*

CONCLUSIO.

**T**Andem extremam manum appo-  
 nens huic Summario Resolutio-  
 num circ Præcepta Lectorem moneo,  
 me sæpè hic insinuasse probabiles o-  
 piniones & favorabiles, in gratiam  
 confessorum qui eas tenentur scire.  
 Quia hæ nō rarò eos liberant à variis  
 anxietatibus circa aliquos pœniten-  
 tes difficiles, circa quos sufficit quan-  
 doque uti Doctorum opinione proba-  
 bili, ita dictante prudentia. Interim  
 omnia S. Romanæ Ecclesiæ iudicio  
 subserno, cui, licet variis errorum &  
 bellorum turbinibus exagitatae in-  
 violabilem veritatem & firmi-  
 tatem à Deo Opt. Max.  
 promissam scio, &  
 credo.

F I N I S.

R 7

RE.